

enim facta Carolostadii satis loquuntur superque, quantopere
aversatus sit istos titulos? Cur noluit amplius Doctoris, sed vi-
cini Andreae appellari nomine? Num forsitan & hic veretur
Hornbeckius, an verum sit?

§. XIX. Meliorem Carolostdio sese gessit *MARTINVS
CELLARIUS*. Hic a Marco Stubnero, qui cum Thoma Mun-
zero, nec non Nicolao Storckio sentiebat, seductus, posthabi-
tis literarum studiis, antea non indiligenter Tubingae, & Wit-
tebergae, exultis, totum se fanaticis adiunxit partibus. Luthe-
rum, Wittebergam Wartburgo reducēm, una cum Marco Stub-
nero convenit, ut colloquio, Lutherum inter & Stubnerum,
habendo, interesset. Exposuit Stubnerus sua placita & sen-
tentias. Ad quas cum Lutherus placide responderet, Viderent,
quid agerent, nihil eorum, quae commemorassent sacris literis nisi, com-
mentaque esse cogitationum curiosarum, aut etiam fallacis & fraudu-
lenti spiritus deliras & perniciose subiectiones, dici non potest, quam
aegre id tulerit Cellarius. Solum namque pedibus, & proposi-
tam mensulam manibus percutiens, exclamare & indignari ce-
pit, ausum esse Lutherum suspicari aliquid, de divino homine, teste
Camerario, in Vit. Philippi p. 51. Nihilo igitur istis Lutheri mo-
nitis melior factus, eodem die, quo colloquium habitum est,
cum suo Stubnero Witteberga abiit, & Kembergi literas, mul-
tis refertas execrationibus, ad Lutherum una misit. Si Horn-
beckio habenda fides, ad Borussos postmodum discessit, scripto-
que non uno Anabaptistarum dogmata aliis propinavit. Idem
& Scultetus narrat, ad A. cl. 10 XXI. ex quo forsitan Hornbeckius sua
hausit. Io. Henricus Ottius autem, in Annal. Anab. p. 15. auctor
est, quod in Bavariam se receperit, ibidemque, Principis man-
dato, in liberam datus custodiam, multa scripsit. Quae ideo
maiorem fidem merentur, siquidem anno demum cl. 10 XXXI.
Lignicio, quod in Silesiis oppidum est non ignobile, teste
Hartknochio, in H. E. P. L II. C. I. p. 284. Anabaptistae in Borus-
siam venerunt, ducibus Eccelio, nec non Taukero, cum qui-
bus de summa religionis differere debuit Io. Polyander, una
cum Paulo Sperato. Martini Cellarii nulla fit mentio. Quod
religuum est, vidit quotidie suas magis labascere partes. Id me-

C,

rito